tim, sed ut maximè admoveas: sic enim pluribus servis quam
paucis illis stipendiariis. Saepè indolui cum viderem in
apologiis D. Ursinum ultimas partes concedere Tubingensi-
bus. Certè hoc non faciunt jesuitae, qui semper Wirteber-
gicos urgent quoties videro. Satis est paucis annotare,
ubi jam ante ipsum sit istas quas secunde reponunt quam
nihil valere. Ex istis permutationibus scriptorum,
triplicis atque quadruplicis liquidissimè innotescit veri-
tas, quod in me sum expertus. Rogo itaque ne ab illis abster-
reas. Quia Ambergensium injecisti mentionem, in men-
tionem mihi venit Aurbekii, qui nostro tempore in collegio
sapientiae erat et Anabaptistis favebat: quaeso mihi signi-
fices, an is in illis locis vivat et ad mentem saniorem
redierit. Dum haec scribo tristissimum hic accepimus
nuncium de Principe Casimiro, quem dicunt venereo exti-
ctum: addunt alii etiam in vini mensura amplificando malum, juniorem
etiam Principem eodem modo sublatum, imò etiam Ludov. Wirte-
bergicum. Haec nos itaque adhuc credo: praecipuè de genere mortis.
quod si verum esset, Pontificiorum hac strategia facta certè
essent, atque tibi in magno periculo versarentur Principes.
Quod si vel solo Princeps Casim. dictu obiit faxit Deus ne
haec mutationem aliquam religioni in Palatinatu aut mo-
ribus junioris principis afferant. Gratum feceris, si hic de re
aliquid ad me scribas, Deus adesit causae suae, ne quicquam hujus-
modi scelestis artibus proficiant. Vale. Franck. 6. Febr: 1592.
Salutem exme D. Kimedoncio dicas   Martinus Lydius
plurimam: et scribe quis nam D. Fr. Junio successerit.

§. 9. 223

Pro munere tuo, Domine et amice observandissime, literario
et quidem praeclaro et eximio ingentes tibi et ago, et habeo gratias,
quas utinam possem referre. Quod autem serius tibi gratias ago,
in causa est, quod propter luctum in quo versor post carissi-
mae fidelissimaeque meae conjugis obitum, intermisi jam aliquamdiu
scribendi ad amicos et rescribendi officium, de quo etiam nonnul-
li conqueruntur. Ut autem ad librum tuum redeam, quem mihi
dono misisti, ac cujus te authorem esse mihi planè persuadeo,
illi lectio non mihi tantum sed etiam aliis, qui plus valent ingenio
atque judicio, quam ego, grata valdè fuit atque jucunda. Doctè enim
traditi atque perspicuè articuli isti hodie controversi in li-
bro illo explicantur, et eorum doctrina confirmatur, falsa doctri-
na atque sophismata Huberi et ejus gregalium refelluntur ac
refutantur. Et tamen dubium non est, quin scriptorum

suorum ope atque opera vel jam respondent, vel brevi sint
responsuri, sicuti etiam adversus Apologiam nostram
amplissimum magistratuum ecclesiarumque nostrarum
communi consensu, judicio, voluntate, authoritateque com-
positam, comprobatam excusam et impressam responsum in lucem edidit, planè di-
abolicum, quod nihil est aliud, quam summarium sophi-
smatum, calumniarum atque conviciorum odiosa repetitio.
Hominem equidem sub Sole et in hoc mundo hodie
audaciorem, maledictiorem, loquaciorem & contumaciorem
Hubero isto puto reperiri neminem. Itaque si quis cum illo
homine omnis humanitatis experte (id quod et ante dispu-
tationem seu altercationem potius illam Bernensem
et in ipsa actione illa, ut post multi fuerunt experti
sumus) disputationem aliquam sive coram sermone sive
per literas obscriptas suscipere velit, is perinde
mihi facere videatur, ac si cum muliere rixosa et ver-
bosa, vel cum graculo, vel cum ebrio, vel cum phrene-
tico, arreptitio, furioso homine, vel denique cum ipsissimo
diabolo in eodem more disserere ac disputare vellet. Vix
verbum dixeris dixeris aut scripseris unum, plaustra
statim verborum, conviciorum atque calumniarum
in se evomet, iisque se obruere conabitur. Non ver-
bis itaque (juxta sapientissimum illud Catonis, Contra ver-
bosos noli contendere verbis etc.) sed verberibus potius,
flagris atque fustibus cum verberone ac mastigia illo
videtur esse agendum. Rationes et argumenta apud
hominem communi sensu carentem, et Theologiae princi-
pia negantem nullius sunt momenti atque ponderis, irri-
ta sunt atque cassa. Non dubitavit improbus et impu-
dens iste fucus ipsas literas testimoniales magistratus
Bernensis, quas nobis dedit, pulchro sigillo confirma-
tas, apologiae nostrae praefixas pro sua plus quam ca-
nina impudentia et audacia in dubium revocare. Quò
autem major et manifestior est apostatae, rabulae
et sycophantae istius audacia, impudentia, improbitas
atque insania, tanto magis miramur principem Wir-
temb. illi non modo patrocinium, tutelam atque ho-
spitium in sua ditione praebere tutum et securum,
illum etiam virum ecclesiae praeficere, et honore

dignitate, muneribus atque stipendiis magis ac magis augere.
Magistratus quoque civitatis et apologiae nostrae exemplar, et
literas humanissimas simul et gratissimas ad illum dede-
runt, quibus innocentiam nostram adversus sycophan-
tae illius convitia atque calumnias testatur (quae literae verè
apologiae nostrae compendium possunt appellari) at ille respon-
si loco responsi istius Tuberiani (quod verè diabolicum
appello) exemplaria cum brevissimo epistolio am-
plissimis nostris magistratibus quasi per contem-
ptum atque ludibrium, ne dicam contumeliam re-
misit. Hoc quomodo magistratus Tetrapolitani sint ac-
cepturi, et quid porrò sint acturi, illorum consilio atque
prudentiae committo. Hac ipsa horâ quâ haec ad te
scripsi, accepi literas à D. Samuele Kinirino, et D. Jo.
Hallero ecclesiastis primariis Bernensium literas,
quibus significant, Senatus consulto atque decreto Tube-
riani libelli exemplaria passim in urbe et agro, quo
passim ab illo missa et sparsa sunt, colligi ac compor-
tari, ut illa publicè in quadrivio carnificis manu com-
burentur. Carmen etiam quoddam breve et apolo-
geticum vernaculâ linguâ à pio et docto quodam
viro in suum exitum, quo extempore quidem, sed firmi-
ter atque solidè illius criminationes gravissimè refutantur.
Et haec de homine isto seu monstro plus quam satis. De
rebus Gallicis, Belgicis et Argentinensibus non operae
pretium, sed supervacaneum esse existimo ad te scri-
bere, cum illa nobis ut vicinioribus, ita notiores sint.
Alias, si has meas literas tibi (ut quidem spero) non in-
gratas esse intellexero, plura, Deo volente, ad te scri-
bam. Nunc ut scribendi finem faciam, sic tibi velim per-
suadeas, me tui peramantem et observantem esse, teque
rogo ut me fratremque meum redamare pergas. Tig. 6. Sept.
1592. Collegae mei omnes te ut amant et observant, ita
salutant plurimùm.

Tui observantiss.

Io. Cl. Stuckius

Clarissimo viro D. D. Pareo
ecclesiae Heidelberg. antistiti
fidelissimo Domino et amico
suo summè colendo.

224)

S. P. Clarissime et praestantissime Vir
D. atque amice observande.
Illustrissimus Elector Princeps noster ergo promisit,
facta item ab ipso mihi spes est, fore ut reciperatur